

A Romanæ ecclesiæ morem & consuetudinem obseruantes, prout ad eos ex debito apostolatus sibi iniuncti officij pertinebat, per certos suos processus in die cœnæ domini annis singulis solemniter publicantes, inter omnes alios & singulos qui ad sedem apostolicam uenientes uel recedentes ab ea, necnon in illos omnes & singulos, qui per se uel per alium seu uel alios, quascunque personas ecclesiasticas uel seculares, ad Romanam curiam super eorum causis & negotijs accedentes, illaq; in eadem curia profrequentes, aut procuratores, gestores, aduocatos & promotores ipsorum, ac etiam auditores seu iudices, qui super dictis causis seu negotijs deputantur, occasione causarum emergentium huiusmodi uerberant, mutilant, uel occidunt, cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis aut status forent, prædicta uel eorum aliqua committentes, excommunicationis & anathematizationis sententias, à quibus nullus per alium quàm Romanum pontificem possit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolui: nec etiam tunc, nisi de stando mandatis ecclesiæ aut satisfactione præstanda: sufficienti cautione præmissa, candelis accensis & ad terram proiectis, promulgauerant: & eos qui taliter excommunicatis & anathematizatis uel eorum alicui præsumerent beneficium absolutionis impendere, similibus sententijs innodauerunt: eisq; prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum ecclesiasticorum, & consessionem audiendi interdixerunt officium: necnon quicunque iniuriatores quorūlibet ad sacra concilia generalia uenientium, seu stantium in ipsis, aut recedentium ab eisdem, diuersas censuras ecclesiasticas & pœnas tam ex canonis, quàm diuini iuris dispositione incurrant: tamen sicut ad nostram fide dignorum multitudinem ualida insinuatione peruenit notitiam, nonnulli iniquitatis filij, perditionis alumni, huiusmodi censuras uilipendentes, ac huiusmodi sacri concilij, extirpationis schismatis, hæresum ac errorum, ipsiusq; ecclesiæ reformationis perturbatores, diabolico spiritu instigante, nec dignitati nec ordini deferentes, dei timore postposito, nefarijs ac sacrilegis ausibus nonnullas personas ecclesiasticas & seculares, etiam pontificali dignitate præditas, ad sedem apostolicam uel Romanam curiam, seu præsens generale concilium in ciuitate Constantiensi prouinciæ Maguntinensis ubi nunc Romana curia existit, in spiritu sancto legitime congregatam uenientes aut recedentes ab eisdem, inuadere, capere, arrestare, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, ac spoliare bonis suis, uel iniurijs afficere quàm plurimis, & alijs male tractare, temeritate propria præsumperunt, & diem præsumunt in apostolica sedis & sacri concilij uilipendium & contemptum, ac sedationis schismatis, reformationis ecclesiæ & correctionis morum, necnon hæresum & errorum prædictorum extirpationis disturbium, suarumque animarum periculum, & scandalum plurimorum.

C Nos igitur uolentes in præmissis necnon aduersus quoscunque ad ipsum concilium & quolibet alia futura generalia concilia accedentes, aut stantes in ipsis, seu recedentes ab eisdem, ne ab alijs deum non timentibus, temerarijs iniurijs infestentur, & opprimantur uiolentijs, & ne quibusuis delinquendi aut excessus committendi pateat audacia, de opportuno & salubri remedio prouidere huiusmodi, necnon omnes alios & singulos alios pœnas, sententijs & cœsuras aduersus quorūlibet personarū ecclesiasticarū uel seculariū ad sacra gñalia cōcilia uenientium, aut stantiū in ipsis, seu recedentium ab eisdem, molestatores, perturbatores uel iniuriatores, auctoritate dei omnipotentis, patris & filij & spiritus sancti extendentes, oēs & singulos cuiuscunque dignitatis, gradus, status, uel conditionis fuerint, etiam si pontificali, Imperiali, regali, uel alia quacunque ecclesiastica uel mundana præfulgeant dignitate, qui quascunque personas ecclesiasticas uel seculares, quæ ad huiusmodi sedem apostolicam Romanam curiam hoc præfenti sacro durante concilio, uel ad ipsum & quacunque alia generalia concilia uenientes & stantes in ipsis, aut ab eis recedentes, temeritate propria per se uel alium seu alios arrestare, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, aut bonis

al. astringere

ddd iij suis